

fortasse enim (ut num. 6 dicebam) fuit solum pro tali religione per modum extensionis, et forte ad petitionem ejus. Dici etiam potest in illa religione prohibitum esse ingressum feminarum ex vi regulæ; exceptionem autem in ea factam reputari licentiam tali jure concessam talibus feminis ad ingrediendum, et ideo censi revocatam per has constitutiones, non tamen esse additam specialem prohibitionem prædictis feminis, sed relictas esse ut comprehendantur in prohibitione regulæ; et ideo solum peccare contra hanc constitutionem, et ejus censuram incurrere, si prætextu permissionis regulæ ingredi velint. Unde, si alio modo per vim vel fraudem ingrediantur, licet fortasse gravius peccent, non incurrunt hanc censuram, quia hæc non imponitur pro quocumque delicto in tali ingressu, sed pro speciali contumacia contra hanc legem.

9. *Instantia ex Navarro expeditur.*—Refert tamen Navarrus, Comment. 4, de Regularib., num. 62, Pium V declarasse mentem suam fuisse comprehendere omnes feminas, etiam aliæ ratione quam virtute prædictarum facultatum ingredientes, imo etiam omnes carentes talibus facultatibus, et ita servari in Prætorio Pœnitentiariæ. Quæ declaratio (si revera fuit) non pura videtur declaratio, sed extensio; et ideo donec sit sufficienter promulgata (ad quod sola relatio Navarri non satis est), non obligat. Præsertim cum in eisdem constitutionibus dicatur: *Postquam harum notitiam habuerint.* Hujus autem declarationis non habetur sufficiens notitia, qualis per se ad obligandum requiritur; et ideo ubi non sit alio sufficienti modo promulgata, vel consuetudine recepta, non existimo obligare, nisi secundum simplicem tenorem dictarum constitutionum. Et hoc etiam per argumentum ab speciali confirmat alia declaratio data, ab eodem Pio V, ordini Minorum in particulari, quam refert Emmanuel Rodriguez, 1 tom. Quæstionum regularium, quæst. 48, art. 3, de qua per indulta authentica eidem religioni constituit, et ita recepta est. In ea vero facta est eadem extensio ad omnes feminas, et ad quemcumque ingressum sine prætextu facultatum; aliunde vero facta est limitatio, et facultas concessa ingrediendi claustra monasteriorum causa divinorum officiorum, processionum, concionum, funerum, seu suffragiorum pro defunctis, ut ibi latius videri potest. Quæ declaratio quoad hanc secundam partem non est pura interpretatio, ut per se notum videtur, sed fuit concessio vel additio quædam; idem ergo est de

priori parte. Et utraque peculiariter directa fuit ad illam religionem, quapropter non tenentur aliæ religiones priorem extensionem, quæ rigorem affert, admittere, nisi eis authentice constet mentem Pontificis fuisse de omnibus loqui. Posteriori autem concessione sine scrupulo omnes uti possunt, vel quia quoad illam partem est favor ampliandus, et quasi privilegium, in quo est communicatio; vel certe, quia si priorem rigorem non recipiunt, eo ipso sunt eis omnia illa permissa, quia non sunt prohibita; si autem prohibitionem ut communem omnibus admittunt, cum suis exceptionibus possunt illam recipere, et non aliter. Cæterum, quamvis juxta prædictas constitutiones Gregorii XIV et Pii V, veram sententiam traditam doctrinam, scilicet, feminas ingredientes alia monasteria virorum diversa a monasteriis Minorum, non prætextu facultatum, etc., non comprehendendi, vel subjeci pœnis prædictarum constitutionum, nec religiosos illas admittentes, sicut jam docueram tom. 5 in tertiam partem, disput. 22, sect. 6, num. 11; nihilominus, postquam hæc scripseram, ad meam notitiam devenit alius Motus proprius Pii V, editus anno 1570, die Julii 16, qui incipit, *Romanum Pontificem*, ubi eisdem pœnis subjecit quascumque feminas virorum monasteria ingredientes, ac religiosos illas ingredi permittentes, etiamsi sine ullo prætextu facultatum ingrediantur et admittantur. Quem Motum proprium ad verbum refert Confectius in privilegiis ordinum Mendicantium inter litteras Apostolicas, fol. 179. Quapropter nullus jam superest dubitandi locus, pœnas priorum constitutionum per hanc ultimam ad omnes feminas virorum monasteria ingredientes, et ad religiosos illas ingredi permittentes, fuisse extensas.

10. *De tertio et quarto dubio in num. 4 propositis.*—De tertio dubio eadem est proportionalis ratio in monasteriis virorum et monialium, et ideo in cap. 10 simul explicabitur. In quarto autem dubio, certum est censuras suspensionis et excommunicationis statim incurrere ante omnem sententiam, quia verba sunt expressa, et in censuris sine ulla dubitatione hoc operantur. Ex illis autem censuris suspensio, quæ a solo Pio V fertur, non habet clausulam reservationis; Gregorius vero, qui excommunicationem addidit, cum dicat: *Sub eadem excommunicatione*, videtur plane eam reservare, quia talis erat excommunicatio quæ præcesserat; quomodo autem per privilegia tolli possit, supra declaratum est, et iterum

inferius lib. 2, a cap. 20. Quoad alias vero pœnas, probabile est necessariam esse sententiam declaratoriam ad incurrendas illas, juxta communiorem doctrinam in materia de legibus.

## CAPUT VIII.

## DE CLAUSURA MONIALIUM QUOAD NON EGREDIENDUM E MONASTERIO.

1. *Discutitur et resolvitur clausura hæc monialium.*—Superest ut explicemus ea, quæ specialia sunt monialibus circa clausuram, tam quoad egressum quam quoad ingressum, quæ sine dubio strictior est. Loquor autem de monialibus proprie, ut nunc omittam alias, quas in tractatu sequenti, lib. 1, cap. 4, in fine, commemorabo. Primo ergo circa egressum, in hoc cap. inquirendum est, an et unde teneantur moniales, sub gravi obligatione ad culpam, ad servandam clausuram non egrediendi e suis monasteriis. Constat enim imprimis non esse de intrinseca necessitate status religiosi in feminis specialis clausura, vel proprio voto promissa, vel per jus positivum imposita, tum quia ostensum est, tomo superiori, et infra etiam dicetur in num. 11, olim sacras virgines solitas sæpe fuisse in propriis domibus religionem profiteri; et præterea est ostensum in eodem tomo, tria vota substantialia sufficere ad statum religiosum, et rationes ibi factæ de utroque sexu probant; non est ergo simpliciter necessarium quartum votum clausuræ<sup>1</sup>. Neque etiam ulla extrinseca lex determinata est de intrinseca ratione talis status, quia licet potestas præcipiendi sit de ratione illius, quatenus respondet subjectioni, quæ fit per votum obedientiæ, determinata lex vel præceptum humanum pendet ex prudentia et arbitrio; et ideo nullum determinatum dici potest esse de substantia talis status. Denique sine tali lege vel voto potest servari castitas, et regula religiosa, vel modus vivendi secundum consilia Evangelica; ergo non sunt simpliciter necessaria ad talem statum. Non potest tamen dubitari quin hæc clausura convenientissima sit ad statum religiosum feminarum, præcipue quando illum profitentur in communi, seu conventuali vita, ut nunc est in usu Ecclesiæ, qui veritatem hanc satis confirmat, et ex naturali conditione et fragilitate

<sup>1</sup> Cap. *Insinuante*, Qui cler. vel voven.; Concilium Illibertin., cap. 27.

sexus feminei, id est per se manifestum, et patebit amplius ex dicendis.

2. *Primum illatum ex proxime dictis.*—Atque hinc colligimus potuisse Ecclesiam ita instituere religiosum statum feminarum, ut prohibuerit illum profiteri in propriis domibus, sed tantum in sacris domiciliis et monasteriis ad hoc per ipsam Ecclesiam deputatis et approbatis. Quia, licet hoc non sit absolute de substantia, liberum est Ecclesiæ non admittere professionem, nisi cum hac circumstantia, ut substantia religionis melius servetur. Et ita fecisse saltem quoad ordinarium et frequentioremodum modum hujus status, constat ex usu Ecclesiæ, quem antiquissimum esse constat ex Concilio Carthaginensi III, can. 33. Et licet nunc etiam non sit de substantia professionis, ut professio in monasterio seu intra claustra fiat, argumento dicti cap. *Insinuante*, tamen certum est de ratione ejus in talibus religionibus esse, ut professio in ordine et cum obligatione ad illum modum vivendi fiat. In eo tamen modo vivendi in communi potest adhuc esse latitudo in modo et obligatione servandi clausuram.

3. *Secundum illatum.*—Unde ulterius potest etiam Ecclesia non admittere aliquam feminam ad religiosam professionem, nisi simul voveat, vel se obliget ad non exeundum e monasterio in quo stabilitatem profitetur, sine legitima Ecclesiæ dispensatione; quia, licet hoc ex natura rei non sit de substantia illius status, tamen est ita conjunctum cum illo, et necessarium ad decentiam ejus, ut possit Ecclesia merito non acceptare pactum professionis sine illa conditione. Dices: ergo posset Ecclesia prohibere ne femina in privatis domibus voveant statum continentiae, quin etiam se obligent ad aliquam clausuram, quia hæc videtur moraliter repugnare cum illo modo vivendi, et ideo posse Ecclesiam prohibere ne in illo fiat simile votum. Respondetur non esse simile de professione religiosa et de voto simplici; nam per professionem constituitur virgo in publico et solemnitate Ecclesiæ, et est peculiari modo membrum ecclesiastici status, cujus institutio et regimen speciali ratione est sub providentia Prælatorum Ecclesiæ; per votum autem simplex continentiae non constituitur status ecclesiasticus, sed est actio mere privata, quæ non pendet etiam ex acceptance Ecclesiæ, sed inter Deum et solum hominem transigitur; et ideo uniuscujusque consilio et arbitrio relinquitur, quamvis si votum illud sit aliquo

modo publicum, ad providentiam Pastorum Ecclesiae pertineat procurare, ut decenter observetur; de qua re multa ex canonibus et Patribus antiquis in superioribus adduximus.

4. *Tertium illatum de fundamento obligationis clausurae.* — Tertio ex dictis colligitur, obligationem praecisam ad servandam clausuram non egrediendi monasterium, duobus vel tribus tantum modis intelligi posse in sanctionali. Voco autem obligationem praecisam, ut illam augeam supra ordinariam clausuram virorum, quia non includit in objecto seu materia illam conditionem, *non exeundi sine facultate praelati aut Abbatissae*, sed absolute non exeundi. Nam, licet haec negatio non excludat justam dispensationem, nihilominus multum differt dispensatio a simplici facultate, ut dixi in cap. 6, a num. 12, et ideo illa vocatur absoluta obligatio. Prima ergo radix hujus obligationis esse potest quartum votum monialium specialiter de hoc objecto emisum. Non est enim dubium quin haec esse possit conveniens materia voti, quatenus illa clausura ad divinum cultum ordinatur, et ad observantiam castitatis, ac in universonum ad spirituales profectum multum conferre potest. Ubi ergo de tali voto constiterit, obligatio clara est, et materia ejus extendetur juxta declarationem regulae, vel communem observantiam monasterii. Multumque refert scire an haec obligatio oriatur ex voto, vel aliunde, tum ad gravitatem ejus, tum ad modum dispensationis, ut infra dicam. Advertere etiam oportet non esse necessarium ut hoc votum explicite fiat; satis est enim si fiat implicite, ut si ex regula vel ex ordinatione Ecclesiae jam constet hanc obligationem includi in ipsa professione, sicut in superioribus dicebamus tria vota semper fieri in professione, quamvis saepe non exprimatur nisi obedientiae votum; vel sicut votum castitatis fit in susceptione ordinis sacri.

5. Secundo potest haec obligatio oriri ex pacto, seu promissione mere humana facta monasterio, quod sub ea conditione vult recipere talem personam, et non alias. Haec ergo conditio sine dubio est justa, et alioquin contractus ille utrinque libere fit; ergo potest ex parte monasterii imponi illud gravamen; ergo si acceptetur, oritur obligatio servandi illud, quia pacta justa servanda sunt. Ut autem talis obligatio insurgat, oportet ut ea conditio in principio sufficienter proponatur, alias non erit voluntaria; intelligetur autem sufficienter proponi, si in regula contineatur, ut

professio ita fiat, vel consuetudine ita receptum sit; nam unusquisque intendit profiteri secundum regulam, et probatam consuetudinem religionis. Hic autem secundus modus moraliter a praecedenti non separatur, quia in professione non intelligitur fieri pactum mere humanum, cum de illo servando Deo fiat promissio; et quia eadem clausura non promittitur homini, nisi in quantum pertinet ad cultum Dei, et ita Deo principaliter promittitur. Atque huc etiam reducitur omnis obligatio orta directe ex regula, si in illa tale praecceptum contineatur; quia tunc etiam illa obligatio oritur ex voto obedientiae. Totam ergo hanc obligationem ex voto seu ex professione appellamus.

6. Ultimus ergo hujus obligationis modus esse potest ex positivo Ecclesiae praeccepto superaddito professioni; et de hoc fuit aliquando controversia, an possit Summus Pontifex hoc praecceptum imponere monialibus, quae per professionem ad clausuram se non obligaverunt. Videtur enim non posse, quia neque ex vi jurisdictionis ecclesiasticae, haec enim non se extendit ad opera consiliorum, inter quae sine dubio computanda est perpetua clausura; neque etiam ex vi voti obedientiae, quia, ut supra vidimus, solum potest ex vi illius praecipi secundum regulam; ergo ubi clausura non est de regula, neque explicite promissa est, non potest imperari. Atque ita tenuit Oldrad., consil. 96, et propendit Felin., dicens ejus rationem esse aequissimam, in cap. *Ad nostram*, de Appellat., num. 6. Erat autem ratio Oldradi, quia frustra datur annus probationis ad experiendas austeritates regulae ante professionem, si post factam professionem possunt novae austeritates praecipi, quas novitius nec expertus est, nec cogitavit. Dicendum nihilominus, posse hoc praecceptum imponi, non solum per Pontificem Summum, sed etiam per Praelatos religionis.

7. Probatur primo ex usu, quia ita factum est in cap. unic., de Statu regularium, in 6, et aliis, quae infra referemus. Responderi posset, Pontificem per illam legem obligasse omnes feminas, quae post illam profiterentur religionem, quia per illam sufficienter est eis proposita conditio, cum qua recipiuntur; non tamen obligasse jam tunc profectas; sicut lex continentiae sacrorum clericorum cum primum lata est, non obligavit jam ordinatos, sed ordinandos, ut supra vidimus. Hanc tamen evasionem excludit Pontifex, dicens, universas et singulas moniales, praesen-

tes atque futuras. Ubi glos., verb. *Præsentes*, difficultatem hujus praeccepti expendit, et tandem resolvit, licet Summus Pontifex non possit fideles cogere ad statum perfectionis, tamen postquam illi voluntarie illum sumpserunt, posse illos obligare ad arctiorem et perfectiorem vitam. Quomodo loquitur etiam gloss., in c. *Quod omnes*, de Regulis juris, in 6, et in cap. *Gesta*, 74 d.; Innocentius in c. *Super eo*, de Regul.; et idem videtur sentire Abb., in c. *Ad nostram*, de Appellat., num. 4 et 5, ubi Felin., Decius et alii eodem fere modo loquuntur. Sed hoc cum grano salis intelligendum est, quia non possunt religioso praecipi austeritates, quae nullo modo ad regulam pertinent, ut in superioribus visum est tractando de obedientiae voto; sed praecipi possunt ea, quae directe, vel indirecte, seu implicite, in tali statu vel regula continentur, qualia sunt omnia quae, licet in regula non sint expressa, tamen secundum rectam prudentiae rationem, vel ad decentiam talis status, vel ad puritatem ejus et observantiam moraliter sunt vel necessaria, vel certe convenientissima, ut late citato loco ex communi doctrina probatum est, et per sese est manifestum; quia in omni statu bene instituto est hujusmodi potestas in Praelato necessaria.

8. Unde utroque titulo supra insinuatopoteest Pontifex hoc praecceptum ponere. Primo, ex vi suae jurisdictionis, supposito statu jam voluntarie assumpto; multa enim sunt quae absolute non possent praecipi personis ecclesiasticis, nisi talem statum assumpsissent; illo autem supposito, juste imperantur, ut constat ex titulis de Vita et honest. cleric., et de Cohabit. cleric. et mulierum, et Ne cleric. vel monachi, cum similibus. Et ratio est, nam qui assumit aliquem statum, virtute se obligat ad ea quae expediunt vel decent in tali statu, quorum determinatio nec semper est certa et sufficiens ex sola natura rei, nec relinqui debet uniuscuique arbitrio; ergo ad eum, qui praest in tali statu, ratione suae jurisdictionis convenit posse ea praecipere, quae ad conservationem et observantiam talis status necessaria sunt. Sed in praesenti materia, clausura monialium est moraliter necessaria ad puritatem status quem professae sunt, non solum propter observantiam castitatis (quamvis haec fortasse sit praecipua ratio), sed etiam ad tollenda multa impedimenta tendendi ad perfectionem, quod etiam Praelati jure suo facere possunt: ergo. Et hanc rationem insinuat Bonifacius VIII, in dict. c. unic., dum ait,

*periculoso et detestabili quarundam monialium statui providere salubriter cupientes*, etc., ubi statum monialium sine observantia clausurae periculosum et detestabilem vocat; quod ex effectibus et abusu ibidem ostendit, et inde recte colligit, ad suam providentiam et jurisdictionem spectare huic incommodo providere. Alius titulus, est obedientiae votum, qui eodem modo explicandus est, nam ratione illius potest Praelatus praecipere austeritatem, vel rigorem in regula non expresse contentum, si ad observanda ea, quae in regula continentur, et maxime si ad vota substantialia in sua integritate conservanda, sint moraliter necessaria, vel ita utilia, ut difficile possit religio aliter contineri: talis autem est clausura respectu monialium, ut dictum est. Atque hoc modo recte procedit doctrina Canonistarum supra adducta, quam ita explicuit Nav., Comment. 4 de Regularib., num. 40 et sequentibus; et insinuat Anton., tertia part., tit. 16, cap. 7, § 3; Sylvest., *Religio*, 7, quaest. 16; Angel., verb. *Religiosus*, § 30.

9. *Ad argumentum in num. 6.* — Ad rationem ergo dubitandi responsum jam est, negamus enim assumptum. Unde clausura respectu monialium, etiam ante praecceptum impositum, non potest reputari ex illis bonis supererogationis, quae proprie dicuntur de consilio, sed est unum ex mediis adeo convenientibus ad finem illius status, ut sit apta materia praeccepti positivi. Imo est tam consentaneum rationi naturali, ut Navarrus supra plures proponat conjecturas, quae suadere videntur ex natura rei esse praecceptum, supposita obligatione status ex voto talium personarum, quae licet non persuadeant, ut ipse fatetur, ostendunt saltem sufficienter esse aptam materiam humani praeccepti. Ad rationem autem Oldradi respondet Felinus, annum probationis non dari solum ad experiendum in specie talem religionem, sed propriam etiam aptitudinem sui ipsius ad religionem in genere; nam per professionem videtur religiosus se subicere omni alterationi et dispositioni Superioris, de qua potest eo tempore unusquisque cogitare, et ideo non potest dici deceptus. Sed hoc non recte dictum est, vel juxta limitationem supra dictam intelligendum est, licet dicta verba vix illam patiantur. Dico ergo annum probationis solum concedi propter experimentum illius religionis, in quo facienda est professio. Sicut autem diximus potestatem Praelati extendi ad ea, quae virtute vel indirecte continentur in regula, ita qui per annum proba-

tionis experitur talem regulam, virtute experitur omnia quæ continentur in illa; experitur (inquam) vel saltem animi præparatione et deliberatione; intelliget enim per illud experimentum fore per professionem subjiendum Prælato quoad omnia quæ ad observantiam talis regulæ convenientia fuerint; et hoc satis est ut postea non possit de deceptione conquiri.

10. *Expeditur nonnulla dubia circa præsens caput.* — Quærendum vero superest an hæc obligatio insit de facto omnibus ac solis monialibus, et ex quo principio ex dictis, et quam rigorosa sit; ultimo quis possit in ea dispensare, quod in sequens caput reservamus. Explicabimus vero tantum quid jure Pontificio servandum sit, nam singulas earum regulas explicare nostrum non est. Nec mihi constat quænam illarum emittant quartum votum clausuræ, aut ex vi suæ regulæ, aut post Pontificia præcepta. Priori enim modo dicuntur illud emittente religiosæ S. Claræ, juxta regulam ab Urbano IV approbatam; et ideo juxta modum et mensuram præscriptam a regula, tenebuntur ex vi voti clausuram servare. Aliqua etiam monasteria, licet ex prima institutione non haberent clausuram, post Ecclesiæ præceptum non solum illam admittunt, sed etiam promittunt; quod an sit necessarium ex vi præcepti, infra attingam. Certum est autem illud votum per se non addere obligationem extensivam (ut sic dicam), sed solum intensivam, id est, novum titulum obligationis ad eandem rem. Et ideo explicata materia præcepti, erit explicata materia hujus voti.

11. *Quo gradu egressio monialium ante Bonifacium fuerit vetita.* — Primus omnium Bonifacius dictam egressionem stricte vetuit. — Primo ergo dicendum est teneri moniales clausuram quantum ad cavendum exitum ab illa. Primus, qui hoc præceptum posuit, videtur fuisse Bonifacius VIII, in cap. unic., de Statu regular., in 6. Nam, licet in antiquis canonibus multa sint hujus clausuræ præcepta, nullibi tamen erat absolute injuncta, sed dependenter fere a legitima facultate Abbatissæ, unde paulo major feminis quam viris imponebatur. Canon enim 33 Concilii III Carthaginensis, qui primus in hac materia esse videtur, prius permittebat virgines sacras a parentibus in suis domibus custodiri: *Postquam vero illis private fuerint* (ait), *Episcopi providentia in monasterio virginum, vel gra-*

*vioribus feminis commendentur, ut simul habitantes invicem se custodiant, ne passim vagantes Ecclesiæ lædant existimationem.* Ubi etiam virgines orbatæ parentibus non coguntur in monasterio claudi, nam poterant gravioribus feminis commendari, et de virginibus habitantibus in monasteriis non dicitur ut nunquam exeant, sed ne passim vagentur, et ut invicem se custodiant. Postea vero in can. 46 Trullano, qui sextæ Synodo attribuitur, sic statutum est: *Quæ vitam exercitatoriam* (id est, religiosam) *eligunt, et in monasteriis sunt constitutæ, ne omnino progrediantur; quæ prohibitio videtur esse absoluta* (quanquam de efficacia illius canonis ad obligandum non satis constet). Statim vero subjungit: *Si qua autem inexorabilis necessitas ad hoc trahit, cum benedictione, et permissione ejus quæ præest, hoc agant, tuncque non solæ per se, sed cum aliquibus vetulis, et quæ in monasterio primæ sint, cum mandato ejus quæ Præfecta est; eis autem omnino extra cubare non liceat.* Unde constat non fuisse absolutam prohibitionem, sed cum subordinatione ad licentiam Abbatissæ. Et in Concilio Cabilon. II, can. 65, similiter dicitur: *Sanctimoniales, nisi forte Abbatissa sua pro aliqua necessitate incumbente illas mittente, nequaquam de monasterio egrediantur.* De ipsa vero Abbatissa dicitur, in cap. 57, ut non exeat sine licentia Episcopi, nisi in quibusdam casibus. Constat itaque antiquis canonibus non fuisse hanc clausuram rigore præceptam. Primum igitur Bonifacius Papa illam absolute præcepit, nulla relicta egrediendi facultate, quacumque ratione vel causa, una tantum addita exceptione infra explicanda; quæ exceptio magis confirmat prohibitionem ipsam quoad omnes alios casus, quia, ut est vulgatum axioma, *exceptio firmat regulam in contrarium.* Unde existimo ex vi illius legis nullum exitum licuisse, nisi per modum rigorosæ dispensationis, et satis dubium esse an possit aliquis præter Summum Pontificem illam concedere, quia in lege Superioris adeo absoluta non potest inferior dispensare.

12. *Hæc Bonifacii prohibitio vel recepte non fuit, vel dissuetudine cessavit.* — Illud tamen decretum usu receptum non fuit, vel per contrariam consuetudinem fuit antiquatum, ut indicat Concilium Trident., sess. 25, c. 5, de Regularibus, dicens: *Bonifacii VIII constitutionem renovans Sancta Synodus; et infra: Præcipiens ubi clausura violata fuerit, diligenter restitui; et auctores passim testan-*

tur, et experientia nobis in Hispania constat, et de Gallia refert Joannes Andreas, super illud caput. Et ob hanc fortasse causam dixit Cajetanus, in Summ., verb. *Monachi*, excusari moniales circa clausuram indictam a jure, si nunquam fuit acceptata, et Episcopi sic semper gubernarunt dando eis licentiam exeundi, quoniam jura non recepta tanto tempore infirma sunt. Idemque est si forte alicubi in principio acceptata fuit, et postea per contrariam consuetudinem revocata. Quæ consuetudo non ad hoc tantum prævalere potuit, ut licentia Episcopi sufficeret, sed etiam licentia Abbatissæ; quia utrumque est tantum contra jus humanum, quod potest per legitimam consuetudinem contrariam tolli. Potuit autem jus illud sic abrogari in una provincia, et non in alia, et intra eandem provinciam in una religione, et non in alia; imo et in uno monasterio ejusdem religionis, et non in alio, quia sunt communitates diversæ, et una potest non recipere legem, vel præscribere contra illam, licet alia eam recipiat et observet. Nihilominus tamen quatenus rigor illius legis per posteriores temperatus est, poterunt omnia monasteria ea moderatione uti, etiamsi antea legem illam integre servarent.

13. *Tridentinum renovat decretum Bonifacii.* — Concilium ergo Tridentinum sess. 25, cap. 5, de Regularibus, innovando dictam constitutionem, hunc modum observat, quod prius præcipit universis Episcopis sub obestatione divini judicii, et interminatione maledictionis æternæ, ut in omnibus monasteriis sibi subjectis, ordinaria, in aliis vero Sedis Apostolicæ auctoritate, clausuram sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restituant; et ubi inviolata est, conservari maxime procurent. Postea vero explicando hanc clausuram et obligationem ipsarum monialium, ait: *Nemini autem sanctimonialium liceat post professionem exire e monasterio, etiam per breve tempus, quocumque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbata, indultis et privilegiis quibuscumque non obstantibus.* Quod decretum si attente expendatur, in aliquibus æquale est decreto Bonifacii, ut mox ostendemus, et in aliquo strictius, ut num. 22 constabit; ac in aliquo suavius, prout in capite sequenti videbimus. Est ergo æquale primo in materia, prohibet enim omnem exitum monialium a monasterio; et ita præcipit et innovat perpetuam clausuram. Quod autem in hac parte addit Concilium, etiam ad

*breve tempus*, non fuit restrictio, sed major explicatio, nam in absoluta negatione hoc continebatur; et quod ait, *quocumque prætextu*, perinde est atque illud, quod dicitur a Bonifacio, *quacumque ratione*. Secundo est æquale in universalitate personarum quas obligat; comprehendit enim omnes et singulas totius orbis, et cujuscumque ordinis moniales; ita enim expresse loquitur Bonifacius VIII, et idem est sensus Concilii, tum quia innovat decretum Bonifacii; tum etiam quia universaliter loquitur: *Nemini sanctimonialium, etc.*; tum quia præcipit universis Episcopis, et de monasteriis sibi subjectis, et non subjectis; ergo comprehendit omnes. Unde utrumque decretum comprehendit omnes religiosas tacite vel expresse professas; sic enim expresse distinxit Bonifacius. Concilium autem licet distinctionem omiserit, innovavit, et satis esse censuit dicere: *Nemini licet post professionem*; nam utraque, tam tacita quam expressa, est professio simpliciter.

14. *Comprehendit eas quæ antea non tenerentur ad clausuram.* — Denique ostenditur ex præxi et auctoribus. — Et quia in utroque decreto nihil aliud postulatur, ideo utrumque comprehendit omnes professas, sive antea vovissent, vel servassent clausuram, sive non; non enim possumus nos limitationem addere, quam lex non posuit. Præsertim quia Bonifacius expresse tulit legem ad comprimendas moniales, quæ clausuram non servabant, et expresse dixit, *moniales præsentis atque futuras, et cujuscumque religionis vel ordinis*; ergo evidenter voluit omnes obligare, etiam quæ non profitebantur clausuram. Denique, non præcipit ut suam pristinam obligationem servare compellantur, sed ex vi suæ legis obligationem ipse imponit, dicens: *Præsenti constitutione perpetuo irrefragabiliter valitura sancimus.* Ex quibus verbis constat, et legem esse novam, et de se non supponere obligationem, sed imponere. Concilium autem Tridentinum, innovando Bonifacii constitutionem, et nullam quoad hoc addendo limitationem, evidenter locutum est in eodem sensu, imponendo eandem obligationem legis ecclesiasticæ eisdem professis omnibus in eadem universalitate sumptis. Et ideo præcipit Episcopis ut ubi clausura servata fuerit, illam retineri faciant; ubi autem violata fuerit, restituant; violatam enim censet, ubicumque non servabatur, propter legem Bonifacii VIII, nam non dicitur violatio, nisi sit contra aliquam obli-